

bombycinus, saec. XIII. praeter aliquot fabulas Aeschyli et Sophoclis, Euripidis continet Hecubam, Orestem, Phoenissas, et Medae fragmentum (v. 1—42), quibus scholia et glossas addidit manus recentior ac satis inutilis si fides Kirchhoffio, qui totum ipse contulit.

Ad secundam novem fabularum recensionem, saeculo tertio decimo factam a magistris Byzantinis, quatuor codices retulit Kirchhoffius: hi autem sunt,

Parisinus 2713, membranaceus, saec. XIII. (nondum, ut videtur, satis accurate excussus), continens Hecubam, Phoenissas, Hippolytum, Medeam, Alcestin, Andromacham.

Florentinus A, chartaceus, nunc deperditus, novem fabulas, excepto Oreste, complexus.

Flor. 10, chartaceus, saec. XIV, novem item fabulas, praeter Troadas, continet. In usum Matthiae a Francisco De Furia collatus est, sed admodum negligenter, teste Kirchhoffio.

Flor. 15, chartaceus, saec. XIV, Hippolytum, Medeam, Alcestin, Andromacham complectitur cum scholiis marginalibus. Hunc quoque librum contulit F. De Furia.

Diversam plane fabularum Euripidearum recensionem, quae multo majorem numerum comprehendebat, exhibent duo qui soli istius generis nunc supersunt libri, Palatinus 287, membranaceus, et Florentinus 2, chartaceus, saeculi XIV. uterque. Horum priore usus est Marcus Musurus, qui fabulas xviii. editione Aldina vulgandas curabat, Florentini 2 apographo adjutus; ex quo reliquas (praeter Electram), quae desunt in Palatino, addidit. Recensionis istius nulla fere cura a Byzantinis saec. XIV. et XV. habita esse videtur, atque eo factum, ut paene oblitterata esset ejus memoria. Quod ad criticam ejus auctoritatem attinet, longe ea inferior est quam primae novem fabularum recensionis, utpote quae ex libro conjecturis jam interpolato petita sit.

Qui infra viginti numerantur codices, in Anglia servantur. Hos omnes ipse quibusdam in locis inspexi et manibus versavi, sed accuratius excutere nolui, cum plerique eorum ab aliis jam dudum collati essent, neque operae pretium videretur tam gravem laborem iterum suscipere.